DE THEOLOGO EPISCOPI EPISTOLA

JOANNIS JOSEPHI PAULOVICHII LUCICHII J. U. D. CANONICI, ET PROVICARII GENERALIS MACARENSIS, NEC NON DELEGATI APOSTOLICI BOSNENSIS &c. &c.

AD

Illmum ac Rmum D. D.

GREGORIUM A VARESS

RUSPENSEM EPISCOPUM, ET VICARIUM APOSTOLICUM BOSNENSEM,

Quam

Idem Præsul e latebris sui Vicarialis Archivii erutam in vulgus edendam nunc primum curavit.



RHAGUSII MDCCCI.
APUD ANDREAM TREVISAN
Superiorum Permissu.

„ *Consiliarius sit tibi unus de mille*".
Eccli 6. 6.

Eminentissimo ac Reverendissimo
Principi D. D.

STEPHANO BORGIÆ

S. R. E. Presbytero Cardinali Tit. S. Clementis S. Congregationis Indicis, & Propagandæ Fidei Præfecto Vigilantissimo Incomparabili &c. &c. &c.

GREGORIUS A VARESS EPISCOPUS RUSPENSIS, ET VICARIUS APOSTOLICUS IN BOSNA OTHOMANA.

DEvotionem, Obsequium, Felicitatem Tria Tibi, Princeps Eminentissime, in uno munusculo hujus Epistolæ obsequenter offero, scilicet Clarissimi Authoris eruditam sapientiam, Theologi mei præcellentissimas dotes & virtutes, necnon novum debitumque grati animi mei testimonium. Cum primum perlegi hanc Epistolam *de Theologo Episcopi* ad me scriptam, statim subit animum cogitatio eam typorum adjumento in vulgus edendi. Nihil in ea est, quod non redoleat Authoris sui eruditionem, fortitudinem, zelum, pietatem. Atque utinam quæ in ea coacervata sunt, legisset Tamburinus, vel quisquis ille fuerit, qui Achitophel consilia dedit Pseu-

do-Episcopo Pistoriensi! Ut ergo & Episcopi sciant, quales sibi Theologos eligant, & Theologi discant qualia Episcopis dent consilia, constitui Epistolam publici juris esse faciendam. Verum cum conatus mei, Authoris Epistola, Theologi mei summa virtus & sapientia opus habeant, Eminentissime Princeps, scuto protectionis tuæ; ideo me, Authorem, Theologum in sinum benignitatis, & clementiæ tuæ conjicio, precorque ut ternos unus protegas foveasque semper. Id quidem & comitatem tuam in nos ostendet magis ac magis, meque Eminentiæ tuæ Reverendissimæ perpetuis observantiæ, devotionis, & obsequii nexibus illigabit.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

Datum in Suttiensi Conventu residentiali meo S. Joannis Baptistæ hac die 10. Maji 1800.

Humillimus Obstrictissimusque

Servus ac Cliens Fr. Gregorius a Varess Episcopus Ruspensis, Vicar. Apostolic.

ILLU-



ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSUL!

DUo sunt, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, duo sunt, eaque gravissima onera, quibus curvatam jam tot curis, premis infirmam cervicem meam. Exigis a me auxilium in munere; quæris consilium in directione. Ad tenuitatem exiguitatis meæ ipse respiciens, utrique jugo collum eriperem, nisi jussionibus tanti Præsulis obediendum præsumerem. Vincat ergo reluctantiam obedientia; infirmitatem absorbeat authoritas: jubensque fiduciam efficiendi id quod jubet tribuet, si conatibus imbecillis meis æqui bonique consulet. Quare de sola spe vitæ æternæ, deque divino confisus auxilio, humeros ponderi Delegationis libens volensque submitto, quippe quod munus nihil quidem nisi labores improbos promittit: votum verò de Theologo eligendo paulo fusius statim depromam. Solum Tibi, Præsul amplissime, collaborare mecum superest, ut qui sapientiam præstat parvulis, & lin-

linguas mutorum facit disertas, jubeat de mentis meæ ariditate profluere, quod sitis tua digne possit haurire...

Præclare quidem tecum egit Divina sapientia; quæ dum ad gradum Episcopalis celsitudinis Te provexit, spiritum Tibi infudit, ut & de Te ipso demissè sentires, & Episcopalis oneris gravitatem formidares. Quamvis enim divinis charismatibus repletus, derivare fontes supernorum donorum, & in plateis aquas sapientiæ dividere minime destiteris; Tetamen ipsum Tibi non credis, sed quasi nudus, vestimenta poscis, quibus cooperiaris, cum circumdatus virtutum varietate, splendes in decore, quo es indutus ex alto. Atque hæc ipsa demissè de se ratio sentiendi, gradumque Episcopalis celsitudinis reformidandi, utinam tandem aliquando in eorum cedat ædificationem, qui nullum faciunt finem Episcopatum prehensandi! Hi quidem noxio sui amore decepti, culmen dignitatis respiciunt, potestatis amplitudinem intuentur, ad fructuum pinguedinem attendunt, dulcedinem præeminentiæ degustant, titulos, quibus Episcopi in jure, & ab Ecclesia decorantur, ut sunt Christi Vicarius in particulari Ecclesia, Pontifex, Angelus, Columna Ecclesiæ, (1) præco Dei, & sal terræ, ambiunt:

gra-

(1) *Pax Jord. tom. 1. in præl ud. de tit. Episc. a n. 1. ad 34.*

gravissima vero Episcopalis officii onera minime considerantes, ignorare videntur, Episcopos ubique constitutos esse tanquam signum ad sagittam, qui non valentes omnibus morem gerere, cum ratione muneris teneantur nedum arguere, sed etiam increpare, ex quo frequenter (1) odium multorum incurrunt, & aliquando etiam insidias patiuntur. Hinc cordati viri Episcoporum gubernium (2) rem difficilem, & laboribus plenam bene vocant; & (3) eorum officium abyssum ærumnarum Chrysostomus etiam aptius appellat. Quid igitur? Liceat nobis, & omnibus, qui nobiscum sentiunt, Divi Bernardi (4) sententiam recitare, qui ait: „ Revereamur Episcopos, sed „ vereamur labores eorum: si labores „ pensemus, non affectabimus honores „. Verum (5) Episcopatum quærentibus horrendum veh imminet, & sine misericordia judicium (6). Tu quidem Tibi constans, Præsul amplissime, nunc in meam revocas mentem studia, & maximos jam satis perspectæ virtutis tuæ conatus illos, qui

(1) *Probat Vermiglior. Cons.* 387. *n.* 4.
(2) *Mastrill. de Magistr. lib.* 1. *c.* 30. *n.*2.
(3) *Refert. Barbosa de Offic. & Pot. Episcopi tit.* 1. *gloss.* 2. *n* 16.
(4) *Sermone* 12. *in Cantica*.
(5) *S. Bernardus lib.* 2. *de Consid: Comment. Sianda tom.* 2. *fol.* 134. *Romæ* 1765.
(6) *Jacobi* 2. 13.

quibus, me præcipue apud summos Viros Principes pro spirituali Bosnensium incolumitate agente, ut Te ipsorum Episcopum deligerent, toties obsecrasti; ne Te tam formidando onere curarem prægravandum: cumque primum ad Te nuntium de satis digna provectione tua misi, hæsisti diutius, meque in metum coniecisti, ne videlicet dum Tibi a pastoris officio recedendum statuebas, lupus Christi gregem invaderet, resque Christiana apud nostrates pessum iret. Sed adfuit Tibi Deus, qui Te in Bosnensium meorum salutem direxit: ipse sane Tibi cor immutavit, ut votis meis, omniumque bonorum morem gereres, qui Te suo superno roboravit Spiritu, ne Te a tanto ferendo pondere subtraheres. En tandem aliquando biennio major es factus Episcopus, dignissimumque Te Episcopali culmine factis ostendis. Forma namque factus (1) gregis ex animo, nihil intentatum relinquis, ut omnes Christo lucrifacias. Propterea divinum, quod passim apud Bosnenses tepuerat, jam satis fervet opus. Lubens volensque hic loci commemorare prætereo quæ hucusque fortiter sapienterque ad commissi Tibi gregis salutem gessisti; ea enim plus quam eloquio, re, & spirituali profectu inclaruere. = Quod me valde lætificat est plenum sapientia consilium, Episcopalem

(1) 1. *Petri* 5. 3.

palem seligendi Theologum. Theologus ipse pariter ac Theophilus præstantissimus, Theologum Tibi, seu Episcopalem Consiliarium quæris eligere, qui Tibi adjutorio esse possit, ut integrum Christianum Bosnensis Regni gregem ad Jesu Christi agnitionem, & amorem tuto valeas perducere. Quam quidem prospicientiæ tuæ rationem tum sacra confirmant adagia, tum exempla. Nam prudentissimus Regum sic effatur: (1) „ Salus autem ubi multa consilia ". Et quamvis nemo unquam majori prudentia, fulgentiorique regnandi coruscaverit peritia; quam Moyses Israelitarum ductor; Soceri tamen consilio parendum sibi esse duxit de aliis mandanda suæ jurisdictionis parte. (2) Et Canonum etiam sententia in hoc ipso Te gerere comprobaris. Dicitur enim (3) integrum omnino esse consilium, quod plurimorum auctoritate comprobatur. Et sanctus Pater Antiochus (4) decernit, consilium in omnibus, gravioribus præsertim, exquirendum, inquiens: „ In quocumque ne„ gotio non mediocris operæ feceris pre„ tium, remque magnopere Deo acce-

A 5 „ ptam

(1) *Prov.* 11. 14.

(2) *Exodi* 18. *&* *Joseph. de Antiq. Judaic. lib.* 3. *c.* 3.

(3) *Cap. prudentiam. extra de offic. Delegati. Clement.* 1. *de sent. exc.*

(4) *Hom.* 83.

„ ptam , si consilium expetes. Nemo „ enim invenietur, qui non indigus sit „ Consiliarii, nisi Deus, & solus, pe- „ nes quem sapientia est omnis. Nam „ homo omnis indigus est probæ consul- „ tationis". Et post pauca: „ Consilium „ enim a quopiam corrogare & expete- „ re, planè argumentum est hominum, „ qui superbiam oderint: & de se mo- „ deste sentiant, eorum maxime, qui „ præsenti urgentur periculo". Atque hinc Canonico Jure cautum scimus, Episcopos in pluribus, sub nullitatis pœna requirere, & expectare debere Capituli (1) sui consensum, consilium verò cum Capitulo inire (2) in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis. Ecclesia namque habet Senatum (3), seu cœtum Canonicorum, sine quorum consilio Prælato nihil agere licet (4): & Episcopus appellatur, & est Caput (5) Capituli, cum quo Canonici unum corpus constituunt, ipsique Canonici haberi debent Consiliarii, ut vocant, nati (6) Episcoporum.

Est

(1) *Barbosa de Canonicis c. 42. n. 15.*
(2) *Cap. Novit 4. Cap. Quanto 5. Cap. Pastoralis 9. de iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capit.* (3) *Trident. sess. 24. cap. 12. de reform.* (4) *Cap. Ecclesia habet Senatum 7. caus. 16. quæst. 1.*
(5) *Cap. 1. dist. 12. & Cap. Novit. de iis, quæ fiunt a Prælatis sine cons. Capit.*
(6) *Thomass. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 11.*

Est omnino quod summopere doleamus, non eo jam res esse loco, ut possint Episcopi Canonicos suos in suum adsciscere consilium: dum enim Canonicis cum Episcopo una erat domus, una mensa, una omnium rerum societas & communio; facile quidem erat has luculentissimas antiquissimi Cleri imagines in consilium advocare. At ubi soluta est communis vitæ Episcopos inter & Canonicos societas, quæ præclara sane res uno, non amplius sæculo fuit; passim consuetudo contraria præscripsit, (1) ne videlicet extra casus in Jure expressos Canonici in Episcoporum suorum advocentur consilium. Atque his raptim cursimque pensitatis, non erit abs re Theologorum Episcopalium originem ab exitu duodecimi Ecclesiæ sæculi ducere, quippe quo tempore obsoleverat vita (2) communis Canonicorum cum Episcopis.

Jam verò circa nominis hujus *Theologus* antiquitatem, & usum quædam hic loci se offerunt enodanda. Atque imprimis Martyrologium Romanum die 18. Januarii Sancti Athenogenis antiqui Theologi memoriam celebrat, quem insigni eruditione, & martyrii gloria illustrem

(1) *Cap. Non est de consuetudine in 6. & cap. Ea noscitur 6. de iis quæ fiunt à Præl. sine consensu Capituli.*

(2) *Thomassin. loc. cit. c. 12. n. 10.*

Sanctus Basilius (1) ad Amphilochium commemorat. Insuper Martyrologium, ac Romanum Breviarium die 9. Maji Sanctum Gregorium Nazianzenum recensentia, eum ob singularem divinarum rerum doctrinam cognomento Theologum appellarunt. Pariter S. Joannes Damascenus (2) testes ennumerans, qui aderant ad sepulcrum Virginis, quique probant tum immaculati ipsius Corporis post mortem incorruptionem, tum ante communem universalem resurrectionem, gloriosam in Cœlos Assumptionem, sic inquit: „ Aderat autem . . . & Petrus, „ suprema, & antiquissima Theologorum „ summitas" Tandem & Sanctus (3) Gregorius Agrigentinus de S. Joanne Apostolo & Evangelista sic effatur: „ Joan„ nes Theologus maximusque Evangeli„ stes". Ex quibus omnibus inferendum superest, quod antiquius omnino videri debeat *Theologi* nomen, quam illud a sæculo XII. quoad originem repetere.

Verum a proposita difficultate facili quidem negotio se quispiam poterit extricare, si tempus nominis & dignitatis Theologi ab ipsomet praxis & officii tempore noverit secernere. Theologi namque

(1) *De Spiritu Sancto cap.* 29.

(2) *Orat.* 2. *de Dormitione Deiparæ sub finem.*

(3) *Explan. super Eccles. lib.* 3. §. 7. *fol.* 78. *Venetiis* 1791.

que nomen & dignitas ei verè debetur, qui de Deo, rebusque divinis apte, prudenter, doctè e litteris, sacrisque institutis ratiocinatur. Quia vero S. Martyr Athenogenes in celebri, quem discipulis suis reliquit, hymno (1), una cum Patris, & Filii, etiam Spiritus Sancti divinitatem cecinit; ideo Theologi antiqui nomen obtinuit. Gregorius autem Nazianzenus merito quoque jure Theologus est appellatus ob eximiam de rebus divinis disserendi peritiam; quam sane qui uberiorem consequitur, Theologi etiam nomen dignius promeretur. Bene pariter Apostolorum Princeps Theologorum summitas vocatur, cum nemo ante ipsum Christi Domini divinitatem apertius sit professus, (2) ut patet ex Evangelii textu: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Dilecto demum discipulo Theologi nomen optime congruit, non quod Apocalypsim scripserit, ut opinatur (3) Bucherus, ratus Christianos Veteres ob tot illa mysteria nomen Joanni imposuisse, quo apud veteres poetæ quandoque, & sacerdotes, & philosophi, & epoptæ appellati fuerant, sed, prout est communior doctorum sententia, quod divina vere divinè tractaverit. Familiare ergo est

(1) *Vide Annal. Baronii tom.* 2. *fol.* 257. *Romæ* 1594.

(2) *Matth.* 16. 16.

(3) *Antiq. Evang. p.* 830. §. 28.



est Patribus, & Ecclesiasticis Scriptoribus, & Athenogenem, & Nazianzenum, & Apostolorum Principem Petrum, & Joannem Evangelistam, Theologos appellare; sed tamen non antiquissimis, cum vel ab (1) Eusebio, vel certe Eusebii ætate Theologi nomen & appellatio duxit initium: sicque subsistit quod superius affirmavimus, Theologos scilicet quoad praxis, & officii tempus sæculo XII. minime esse antiquiores. Ergo sæculo XII. Theologi excipere cœperunt Canonicorum officium, Consultoresque adhæserunt Episcopis in rebus arduis, quæ ad fidem, & conscientiæ forum pertinent.

Sed ne facilitas exquirendi consilium a Theologis vertatur in damnum Episcopis, scire operæ pretium est, Episcopos ipsos eminenti Theologiæ scientia præditos esse oportere, ut nimirum gravissimo docendi muneri facere satis possint. Nam ut docet S. Augustinus, (2) per Theologiæ scientiam fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur; quod perficere in commisso sibi grege potissimum competit Episcopo. Hinc in sublimiori vitæ statu constituti Episcopi, non solum multo plura fidei my-

(1) *Sic contendit Bucherus Antiq. Evangel. p.* 817. §. 15.

(2) 14. *de Trinitate cap.* 1. *super illud Apostoli: alii datur scientia &c.*

mysteria, quam alii fideles, strictissimam obligationem habent cognoscendi; verum etiam onus eis incumbit sciendi etiam rationes, & fundamenta, ex quibus eruitur, quod illa sint fidei mysteria. Hæc quidem sententia ideo certissima evadit apud omnes Theologos, quia sicut non omnia membra Ecclesiæ æqualem obtinent statum, ac dignitatem; sed quidam Concionatores, quidam secundi ordinis Pastores, quidam vero Episcopi esse perhibentur: ita cum (1) omnia membra non eundem actum habere Apostolus fateatur, consequens est omnino, quod Episcopi, quibus competit regere, pro eminentiori status ratione, eminentiori etiam Theologiæ scientia in Christi Ecclesia præfulgere debeant. Neque satis sibi putent esse sic cognoscere explicite fidei mysteria, ut ea valeant etiam aliis explicare; sed & alia plurima tenentur scire, & ea præsertim, quæ in Conciliis Generalibus contra Hæreticos extant definita, quæque expresse in Sacra Scriptura continentur valde conducentia ad salutem subditorum procurandam, eaque omnia, & singula contra Hæreticos quoscumque defendere. Quod quidem confirmat (2) Apostolus dicens: „ Oportet „ Episcopum esse... amplectentem eum, „ qui secundum doctrinam est, fidelem ser-

(1) *Rom.* 12.
(2) *Ad Titum* 1.

„ sermonem, ut potens sit exhortari in „ doctrina sana, & eos, qui contradi- „ cunt, arguere ", seu, ut in Græco Textu habetur, argumentis convincere. Apostolo quoque succinunt multi Sacri Canones (1) idipsum expresse statuentes, atque apud Gratianum videndi. Etiam Septima Synodus (2), Concilium Toletanum XI. (3) Concilium Lateranense sub Alexandro III. & aliud Lateranense sub Leone X., ac postremo (4) Tridentinum in eadem esse sententia deprehenduntur, potissimum quia cum Episcopis maximè incumbat docendi officium, sunt enim Apostolorum Successores; fideles mysteriorum Dei dispensatores nullatenus esse possunt, nisi fidei depositum per Theologiæ scientiam acquirant: ad Episcopos namque spectat in Conciliis fidei controversias determinare. Quæ sane rationes omnes ostendunt non sufficere, ut Episcopi litteratos secum detineant Theologos, a quibus possint in fidei, morum, & disciplinæ controversiis consilio juvari; sed ipsimet debent Sacrarum Litterarum non vulgari peritia pollere, cum ad Episcopus spectet populum sibi concreditum per se in fidei,

(1) *Distinct.* 23. 36. *&* 38.
(2) *Sess. ultima cap.* 2.
(3) *In principio.*
(4) *Sess.* 7. *c.* 1. *&* *Sess.* 22. *c.* 2. *de reform.*

fidei, morumque institutis erudire, ut exigit Tridentinum. = Ubi tamen animadvertendum occurrit, non esse omnino necessarium, ut Episcopus tam insignis sit Theologus, qui ex tempore exactam sciat reddere rationem omnium fidei mysteriorum, aut adversariorum impugnationes extemplo refellere; sed satis esse, ut opportuno tempore, adhibito studio & diligentia, id possit facere, cum hoc sufficere sentiant (1) tum ad defensionem fidei, tum ad instructionem populi. = Neque illud etiam hic loci est prætereundum silentio, quod in rem scriptum reliquit Subtilis Doctor (2), qui mitius agens quibusdam in casibus cum Episcopis, sic ait: „ His tamen non „ obstantibus, credo posse eligi quando- „ que ob alias conditiones eminentes, „ ad defensionem auctoritatis Ecclesiæ „ proficuas, aliquos Episcopos, qui non „ habent prædictam doctrinæ sufficien- „ tiam, & eos posse illud munus acce- „ ptare, modo tamen proponant juxta „ capacitatem suam moralem adhibere „ diligentiam acquirendi paulatim illam „ notitiam. Ratio hujus est, quia non „ solum doctrina requiritur; sed aliæ „ etiam

(1) *Jo: Duns Scoti quæst. in Lib. 3. Sent. cum Commentariis F. Francisci Lycheti, & Supplem. Jo: Poncii tom. 7. dist. 25. quæst. 1. fol. 528. Lugduni 1639.*

(2) *Loco superius citato.*

„ etiam conditiones, & quandoque magis cederet in bonum fidei alias conditiones in eo adesse, quam ipsam cognitionem; ergo in tali casu posset non exigi doctrina propter illas conditiones alias. Conditiones autem aliæ ad hoc requisitæ possunt esse magna prudentia regendi, & insignis vitæ puritas, ac etiam magna nobilitas generis; unde videmus in praxi Ecclesiæ, filios Principum, & Magnatum; & personas prudentes bonæ vitæ, licet non sint literati, assumi ad Episcopatum". Quare? quia defectus ex capite scientiæ in Episcopo suppleri potest per Theologum Consiliarium, qui suis eum consultationibus instructionibusque paulatim sufficientem reddit, atque in Theologicis versatum disciplinis. Verum qui purissimo Sacrorum Canonum spiritu pleni sunt, expetunt illi quidem, ut casus istiusmodi fiant rara avis in terris, nemoque super Episcopalem in Ecclesia Cathedram de cætero sedeat, nisi qui sit secundum Deum sanctus, prudens, ac sapiens.

Ad quid ergo Episcopo Theologus? ut scilicet de thesauro (1) pectoris sui proferat nova, & vetera in ædificationem Corporis Christi (2). Perbelle in rem disseruit Eusebius (3) Gallicanus inquiens:

(1) *Matth.* 13. 52.
(2) *Ephes.* 4. 12.
(3) *In natali Virginis.*

quiens : „ Omnis Ecclesiæ Doctor, (id est Theologus) si sapiens est, si doctus
„ est, similis est homini Patri-familias,
„ qui profert de thesauro suo, de divi-
„ tiis pectoris sui, nova, & vetera. Sy-
„ nagogæ scribæ quia docti non sunt,
„ proferunt vetera. Ecclesiæ vero scri-
„ bæ, quia docti sunt, & nova profe-
„ runt, & vetera. Illi solam literam,
„ isti & literam sequuntur & spiritum.
„ Istis denique datum est nosse myste-
„ rium regni Dei, illis autem non est
„ datum: Ut videntes non videant, &
„ audientes non intelligant.... Ideo abys-
„ sus invocat abyssum, idest novum ve-
„ tus, & vetus novum testamentum. A-
„ byssus enim utrumque testamentum di-
„ citur, propter altam scientiæ, & sa-
„ pientiæ profunditatem". Insuper: Theologi adstant Episcopis, quia sunt oculi columbarum. „ Oculi (ut ait (1) An-
„ gelomus Luxoniensis) totius corporis
„ duces esse probantur, sine quibus aut
„ non potest incedere corpus, aut vix
„ offendendo incedit. In quibus sancti
„ doctores (nimirum Theologi) intelli-
„ guntur spirituali visu cœlestia contem-
„ plantes, qui propter simplicitatem &
„ innocentiam columbæ comparantur".
Pariter: Theologi præsto debent esse Episcopis, quia ipsis datum est, cœlestis doctrinæ, Theologiæ videlicet, mysti-

cam

(1) *In Cant. cap. 1.*

cam lucernam accendere . Eapropter a Victore (1) Antiocheno in hæc verba admonentur : „ Nemo (Theologorum) „ mysticam hanc lucernam , hoc est , „ cœlestem doctrinam sub modio ponat, „ verum ut omnes qui in domo Eccle- „ siæ sunt , radios illius tanquam super „ candelabrum jam elatæ videre queant, „ in apertum proferat “. Tandem : Theologi adhærent Episcopis, quia , ut ait S. Bruno (2) Astensis, „ Doctores (Theo- „ logi) sunt arcus Dei , per quos sagit- „ tas suas , & scripturarum certissimas „ rationes contra (fidei adversarios) Do- „ minus immittit , donec infirmati , & „ victi conquiescant . Hinc est enim , „ quod suis discipulis Dominus ait : Ego „ dabo vobis os , & sapientiam , cui non „ poterunt resistere, & contradicere om- „ nes adversarii vestri “. Etiam S. Augustinus (3) de Theologorum munere disserens, inquit : „ Aliud est scire tan- „ tummodo quid homo credere debeat. „ propter vitam æternam adipiscendam , „ & aliud est scire quemadmodum hoc „ ipsum & piis exponatur, & contra im- „ pios defendatur , quam proprio voca- „ bulo scientiam appellare videtur Apo- „ stolus (4)“. Qui idem Sanctus Eccle-

siæ

(1) *Ad cap.* 4. *Marci*.

(2) *Super Psalter.*

(3) 14. *De Trinitate*.

(4) 1. *Cor.* 12.

siæ Doctor (1) alio in loco fidem cum scientia in Theologis requirens, subdit: „ Erat Joannes de illis montibus, de „ quibus dicitur in (2) Psalmo: Suscipiant montes pacem. Intelligit per pacem sapientiam, qua maiores illuminantur. Justitiam autem appellat Fidem, qua illuminantur minores“. Ex quibus sequitur velle Augustinum, quod majores in Ecclesia habeant scientiam cum (3) fide, minores vero fidem tantum.

Atque hæ, aliæque plurimæ Catholicorum Theologorum prærogativæ, tantam eis in Ecclesia constituerunt auctoritatem, ut eorum universitatem in fide, & moribus errare minime posse omnes fateantur, qui sciunt doctrinæ depositum eis a Domino fuisse commendatum: alias, Theologorum universorum error, error esset Ecclesiæ, utpote quum ad cernendum hujus generis res omnes, & singulas non alios Ecclesia, quam Theologorum oculos habeat, qui si fallerentur, totum Ecclesiæ corpus in suo facerent errore versari. Hinc concordi omnium Theologorum de fide, aut moribus sententiæ contraire, si non hæreticum, hæresi

(1) *Super illud Joannis: Vita erat lux.*
(2) 77.
(3) *Jo: Duns Scoti Reportata Parisiensia tom.* 11. *lib.* 3. *dist.* 24. *quæst. unica n.* 8. *fol.* 518.

resi saltem (1) proximum esse cum doctissimo Theologorum affirmamus. Illa enim Domini verba: „ Qui (2) vos audit, me audit, & qui vos spernit, me „ spernit", non modo ad primos Ecclesiæ Theologos, hoc est, Apostolos, referenda esse intelliguntur; sed ad Doctores etiam, & Theologos alios in Ecclesia futuros, quamdiu pascendæ essent oves, & agni in scientia Theologica & doctrina. Idcirco optime Canus Clarissimus in rem ait (3): „ Quemadmodum „ igitur qui Theologos Christo succedentes contemnebat, Christum is etiam „ Dominum contemnebat: ita qui Theologos juniores antiquis succedentes despicit, hic Christum quoque ipsum despiciat necesse est". Non ergo singuli Episcoporum, sed universa Christi Ecclesia, cœlestis sapientiæ, & doctrinæ pabulo in rebus fidei, & morum usque ad Mundi finem alenda, Theologorum indiget orthodoxo adjutorio. Quingentis ab hinc, & amplius annis, si quas Ecclesia hæreses condemnavit, si qua de fide, & moribus decreta tulit; in utrisque Theologorum subsidio & diligentia vehementer adjuta fuit. Id sane constat inter omnes, quibus vel Conciliorum ge-

sta,

(1) *Canus de loc. theol. lib. 8. cap. 4. tertia Conclusio.*

(2) *Lucæ* 10. 16.

(3) *Luco supercitato.*

sta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita.

Jam vero superest inquirendum, quas animi dotes singuli Theologorum habeant necesse est, ut tanto digni habeantur nomine, & Officio. Omnium igitur præcipua dos est vita inculpabilis: nemo enim recte monitoris & consiliarii personã (1) suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat. Alia est doctrinæ sanitas: nam Theologia germen divinæ gratiæ (2) nuncupatur, qua nihil quidem fortius ad accendendum cor hominis, & promovendum ad Dei amorem: si vero doctrina putresceret; Ecclesiæ membra venenosa tabe confecta, sua sponte a mystico Christi Corpore exciderent. Doctoribus & Theologis, qui expositis exornantur dotibus, fulcitur Dei Ecclesia, quam ex adverso turpis vita, & insana doctrina subvertit. Pulchrè de utraque hac Doctoris Theologi dote proloquitur in hæc (3) verba Apponius: „ Duplicia sapientiæ arma custodi vineæ „ (nimirum Doctori Theologo) necessaria sunt, huic præcipue qui suam diruit, & ad Domini vineam conversus „ transivit: sanctæ scilicet conversationis exempla, & sanæ doctrinæ sermones;

(1) *Dist.* 81. *cap. Nemo.*
(2) *S. Antiochus Hom.* 128.
(3) *In Cantic. libro* 2.

„ nes ; simulque astutia serpentina , & „ sæcularis ad simplicem sanctitatis candorem spiritalis columbæ , per quam „ rationem de arcanis rebus reddendo „ quærentibus , & patienter injurias sustinendo , malos possit revincere impugnatores “ . Quas quidem Theologorum dotes paulo fusius exposuit Paschasius (1) Ratbertus inquiens : „ Nullus „ Doctor in Ecclesia esse debet (quæ „ est regnum cœlorum) nisi thesaurum „ novi ac veteris testamenti proferre possit in plebes . Debet namque antiquam „ Adæ prævaricationem ita pronuntiare , ut idoneus sit Christi novæ gratiæ beneficia , & novam redemptionem humani „ generis plenissime prædicare . Debet „ etiam dives in virtutibus inveniri , ut „ possit de thesauro cordis sui bona opera ad novam vitam pertinentia ostendere ; & vitia seu peccata , quæ ad veterem pertinent hominem , more medici scienter curare , nec non & pœnas inferni , atque supplicia inferorum „ aperte denuntiare , ita ut potens sit ex „ fide , cum omni auctoritate scripturarum exhortari , ac docere , quæ cœlestia sunt ac spiritualia ; & ad ea quæ „ sempiterna sunt , Auditores suos evidentissime invitare &c. &c. “ . Idipsum Philo Carpathius (2) verbo , ut ita dicam ,

(1(*In Matth. lib.* 7.
(2) *In Cantic.*

cam, exposuit: „ Nihil enim (ait) est „ sanctius, nihil Deo nostro acceptius „ bene facere, & cœteros bene docere. „ Hoc de Deo ipso nostro probatur, cum „ dicitur: quia cœpit Jesus facere, & „ docere. Hic igitur nobis (Doctoribus „ & Theologis) imitandus est". Duabus recensitis dotibus tertia quoque addatur, & est orationis adsiduitas. Ait namque S. Nilus (1): „ Si es Theologus, vere orabis; & si vere oraveris, „ Theologus vere eris". Cum itaque (2) omnis sapientia sit a Domino Deo, eam potissimum, quæ de nobilioribus simpliciter entibus, utpote de Deo, & divinis per elevatissimas ac abditissimas rationes, & considerationes nobilissimo sub lumine speculatur, oportet in fide, & cordis munditia a Deo incessanter postulare. Quarta Theologi dos in eo sita est, ut in dicenda sua sententia faciem hominis non respiciat, nec ullius creaturæ mortalis minas expavescat: alias, Episcopus istiusmodi Theologi consiliis deceptus, non Theologum, sed foveret adulantem. In veritate igitur legem doceat Theologus, & salutem propriam, & proximi doctrinæ sanæ, & morum puritate operetur: quia plenitudo sapientiæ (3) est timere Deum.

(1) *De Orat. cap.* 37.
(2) *Eccli.* 1. 1.
(3) *Eccli.* 1. 20.

Expensis breviter præcipuis Theologi Episcopalis dotibus, videamus, quodnam sit Theologi officium. Atque imprimis adsiduum, nunquamque intermittendum studium postulat Theologi officium: si enim hæsitaret in proferenda de rebus Theologicis sententia, aut quod pejus turpiusque omnino esset, si requisitus se nescire responderet; nonne bene aptarentur illi verba Christi Domini semel Nicodemo dicta (1): „ Tu es Magister in „ Israel, & hæc ignoras " ? Nihil indignius quidem Theologo, quam docere appetere, & docenda ignorare. „ Dum „ enim, ait Toletanum Concilium, (2) „ indocti docere appetunt, quid aliud, „ quam quia ignorantiæ errore vexen„ tur, ostendunt " ? Adsidue ergo debet Theologus scrutari Scripturas, Traditiones, Concilia, Patres, disserendi materiam a priscis auctoribus, formam verò a junioribus mutuando: sicque potens evadet Theologus, & capax exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, quod est Christiani Doctoris ac Theologi præcipuum institutum. A quo quidem non assolet Episcopus exquirere consilium de facilibus ac per se notis; sita sunt enim talia ante oculos: nec de iis rursus ferre cogitur sententiam, quæ multum a ratione discrepant;

(1) *Joann.* I. 10.
(2) *VII. Cap.* 5.

pant ; nam ea quoque facile apparent, nec magnopere Theologi studia desiderant : sed quæ difficilia nimisque ardua videntur esse, neque a multis intelligi possunt, de iis ut plurimum sunt veritatis oracula Theologo Episcopali depromenda. Ex quibus patet plusquam evidentissime, quam necessarium sit ipsi nunquam ferme intermittendum studium.

Deinde: regula rationi, & Sanctorum auctoritati maxime consentanea est, ut Thelogus Theologiæ sacrum ac venerandum nomen secum ipse sæpe reputet; titulum suum, hoc est Theologi, frequenter legat, ac meditetur; quæratque a se ipso non semel, sed sæpius, quorsum debeat theologica argumenta pertractare, sciatque, nullam illi doctrinam adsciscendam, nisi quæ ad veram Christi, Apostolorum, & Prophetarum philosophiam referatur.

His ita sibi constitutis, cavendum sibi omnino esse sciat, ne judicium Ecclesiasticorum, Episcoporum videlicet, animos a severitate & vehementia theologicis consiliis suis ad remissionem indulgentiamque traducat: ex eo enim fieret, ut non solum Forum Ecclesiæ relaxaretur, verum etiam usque ad atrium licentiæ impudentis, atque adeo intolerandæ procederet, quo quidem nihil in Ecclesia hoc tempore, & ætate perniciosius.

Caveat pariter perquam bene Theologus, ne ex sacro istiusmodi *Theologi* nomine se vel parum extollat, ac si ad oracula fundenda natum se esse putet; scire namque ei operæ pretium erit, ut nimirum de se ipso demisse, ut debet, sentiat, Theologorum testimonium, præsertim si alii viri docti in eodem enucleando argumento pugnant, non plus valere, quam ratio eorum, vel auctoritas evincitur comprobare: Nec ad auctoritatem theologico cuipiam argumento conciliandam prodesse noscitur Teologorum pluralitas, sed paucorum Virorum gravitas: Nec demum expendenda esse numero sciat, quæ pondere potius dijudicanda cognoscat.

Unum adhuc nobis superest nodum relaxare. Sæpe ab doctis Viris dubitatum fuit, num in Episcopalis Theologi electione Theologus Canonistæ, an potius Canonista Theologo sit præferendus. In quo extricando dubio inquisitione dignum imprimis videtur, in qua ex duabus Facultatibus Episcopus, de cujus eligendo Theologo agitur, minus peritus reperitur. Si enim in Theologia præstat Episcopus, sane Theologus Sacrorum Canonum Doctor sit oportet. Si verò Episcopus in Jure Canonico sit versatus, habeat ipse sibi Theologum in Theologicis disciplinis eruditum. Quod si Episcopo in utraque Facultate (quod absit) desit

desit peritia; tunc Theologus & Theologiam & Canones optime calleat necesse est. Nec prætereunda est ad ipsius Diœcesis statum animadversio: quia Theologus tunc Canonistæ præferendus est, cum in Episcopatu hæreses pullulare dignoscuntur; si secus fuerit, Canonistas Theologis passim præferri conspicimus, (1) quod etiam Doctores insinuant faciendum.

Quod huc spectat in ea ego sum sententia, ut in Episcopalem Theologum Eligendus, in utraque & Theologica, & Canonica Facultate præfulgens seligatur. Si enim tantummodo Theologus fuerit Episcopi Consiliarius, Pontificumque Canones ignoraverit, multa nimis illi deesse comperientur ad usus Theologiæ necessaria. Sacerdotes Canonum Ecclesiasticorum oportere esse peritos, ex Cœlestino, Leone, Augustino, Septima Synodo, Concilio Carthaginensi, Concilio Toletano IV. Concilio Aurelianensi IV. Gratiano (2), & Buchardo (3) referentibus, colligitur. Quod quidem præceptum ratione officii magis Theologos obstringit. Etenim in Episcoporum Consiliarios assumendi, in partem veniunt regiminis animarum, quod peculiare Theologorum munus Juris Canonici scientiam

(1) *Abbas in Cap.* 1. *n.* 9. *de Consan. & Affinit.* (2) *Dist.* 38. *&* 61.
(3) 1. 2. c. 159.

proculdubio requirit. Nam cum Theologi functio sit propria exhortari fideles in doctrina sana, iidem quippe Theologi, qui Magistri animarum esse dicuntur; Doctor verò Ecclesiæ non divinas modo leges, verum etiam Ecclesiasticas docere debeat; absurdum plane esset auferre a Theologi munere Canonum disciplinam. Ad disciplinæ igitur Ecclesiasticæ cumulum Theologus Episcopalis sacrorum etiam Canonum peritiam profiteatur oportet, morumque doctrinam in specie, secundum gradus singulos, & ordines officiorum Ecclesiæ tradere sciat. Satis namque exploratum habetur, quam male valeant ii de re Theologica dare consilia, qui Conciliorum dogmata, Jurisque Pontificii Decreta solent ignorare. Fixum firmumque sit cuilibet Theologiam profitenti, Canones Ecclesiasticos, Spiritu S. (1) dictante, conscriptos, Summorumque Pontificum effata a Libris utriusque (2) Testamenti, ex quibus quidem fontibus suos pariter Theologia rivulos ducit, dimanasse: quod compellit Theologos nobiscum sapere, Juris nempe Canonici doctrinam eis esse valde necessariam, quippe qui eos in Theologico satisque gravi munere perficit, eis-

(1) *Ait Damasus 25. quæst. 1. cap. Violatores.*

(2) *De. transl. Episcop. cap. 1. & de accus. can. Qualiter, & quando.*

eisque argumenta Theologicæ facultatis propria subministrat.

Verum ne Theologus Episcopalis Canonistis obsequuturus in eos impingat scopulos, qui in propugnandis sententiis Canonistas abs Theologis dividunt, operæ pretium putavimus argumenta, in quibus ad invicem discordant, breviter referre, ut cum opus fuerit, cauta discretione Episcopalis Theologus valeat judicium sibi bene visum extra partium studia in rem pronuntiare. Ac primo quidem Theologi, & Canonistæ in eo dissident ad invicem, quod illi Striges verè corpore moveri, transportarique volunt; isti e contra idipsam dæmonis illusionem esse (1) evincunt. Qui e molesto hocce argumento extricare se pro dignitate, & veritate cuperet; *Novum Maleficarum Malleum* sub quæstione de Strigibus, seu (2) Maleficis diligenter percurrat.

Pariter quoad Usuram dissentiunt, cum affirment Canonistæ, eam Hebræis concedi posse, cum de eorum salute non sit curandum, secus autem propugnent Theologi; hisque adhærendum suademus, si Usuræ argumentum secundum salutem solvatur; si verò de jure divino servan-

do

(1) *C. Episcopi 26. 9. 5.*

(2) *P. Bartholomæi Spinei Sacri Palatii Apostolici Magistri. Coloniæ apud Colinum* 1581.

do secundum moralem philosophiam agatur, tunc (1) Canonistas sequi par esse videtur.

Insuper Theologi, & Canonistæ dissidere deprehenduntur in quodam casu de bonæ fidei possessore. Canonistæ enim sustinent, quod bonæ fidei possessor usque ad completam præscriptionem, licet superveniat mala fides, postquam præscripsit, non amittat præscriptionem completam, quin possit rem sic præscritam tenere; atque idipsum Theologos reprobare comperimus (2).

Deinde: secundum Theologos decimæ non debentur Ecclesiis habentibus bona propria, neque peccant in eorum sententia qui non solvunt, si tamen exstet consuetudo non solvendi, quia Summus Romanus Pontifex ex tolerantia videtur sic permittere; sed per Canones hæc ipsa opinio damnata comprobatur, quia Ecclesia (3) sententiæ istiusmodi contradixit expresse, atque hinc opinio S. Thomæ, & Theologorum in hoc jam patet fuisse reprobata (4).

Demum asserunt Theologi, jurisdictionem

(1) *Alex. cons.* 1. *n.* 10. *lib.* 2.

(2) *Jo: de Im. cons.* 147. *in causa Inter Franciscum n.* 11 *v. si quis.*

(3) *C.* 1. *de Dec. in* 6.

(4) *Alex. cons.* 64. *Romana Eccles. lib.* 4. *per tot.*

nem temporalem ad Imperium, spiritualem ad Papatum pertinere: quod quidem in sensu Canonistarum falsum omnino reputatur, tum quia omnis jurisdictio in Christo fuit, quæ in illo Evangelii textu per se clara innotescit, ubi Christus sic ait: (1) „ data est mihi omnis potestas „ in Cœlo, & in terra "; tum quia Imperium est a Deo, & ab Ecclesia; & Papa potest citare ubique, etiam in terris Imperii, non e contra (2) qui textus est conciliaris, & attendendus (3); tum demum quia Papa omnem possidet jurisdictionem habitu, actu verò eam tenet Imperator ab Ecclesia (4).

En, Præsul Amplissime, quid licuit placuitque de eligendo Episcopali tuo Theologo breviter disserere: & quod olim S Bernardus scripsit (5) ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, illud etiam Tibi puto referendum in hæc verba: „ Talibus utendo Consiliariis, bonam vo„ bis servabitis & famam, & conscien„ tiam.

(1) *Matth.* 28. 18.

(2) *Clem. Pastoralis de re judicata.*

(3) *Bart. in Extrav. Ad reprimendum* §. *per edictum n.* 9. *& seq.*

(4) *Zab. cons. fin. per tot. & extat extrav.* 8. *unam Sanctam Ecclesiam. Vide Begnudelli Bibliot. tom.* 4. *tit. Theolog. fol.* 176. *Coloniæ Allobrogum* 1747.

(5) *Epist.* 42. *c.* 1. *n.* 1. *fol.* 467. *Parisiis* 1719. *apud Monta.*

„ tiam. Sic Dei Sacerdotem, sic tantæ „ Civitatis decet Episcopum, puerilibus „ non agi secularibusque consiliis. Om- „ nes, juxta Domini præceptum, etiam „ inimici, diligantur; sed ad consilium „ soli eligantur, qui & prudentes esse „ videantur, & benevoli". Eum itaque Tibi Theologum assume, non qui pro forma veluti constitutus, morem gerat pruriens auribus, sed qui in iis, quæ ad fidem, & forum conscientiæ in rebus arduis pertinent, consilia secundum Deum Tibi dare sit idoneus, ut verificetur Jeremiæ (1) effatum: „ Dabo vobis Pa- „ stores, qui pascent vos scientia, & do- „ ctrina". Vis eum scire de nomine? Rem omnino perdifficilem postulas. Sane apud Dalmatas, extinctis quibusdam ex utroque Clero, qui jam innotuere, Theologis, videre nobis superest, quam in paucis sit spes, quam in paucioribus facultas, quam in multis de sacro ac venerabili orthodoxi Theologi nomine reliqua sit audacia. Sed urget jussio: & ego obediendi gratia tandem aliquando dicam quod sentio. Mea quidem sententia Theologum Tibi, Illustrissime ac Reverendissime Præsul, Patrem Fidelem Jaderensem Concionatorem ex Capuccinorum Ordine, qui Hospitii sui Spalatensis Præses, omnes & singulas animi dotes Theologo necessarias dignasque pos-

(1) *cap. 3. v. 15.*

possidet. Ne Tibi sim tædio, promeritas ab eo laudes tacitus ipse consulto prætereo. Verum alii ejus laudatores quales quantique! Eum Archiepiscopus Metropolita Spalatensis ac Primas abs tot annis in suum adscivit Theologum; eum Spalatense Capitulum in suis Capitularibus Comitiis singulari laudum præconio celebravit; eum cæteri Dalmatiæ Præsules sibi peracceptum ob perspectas ipsius singulares virtutes, & sapientiam non semel suis Testimonialibus Litteris edixerunt; eum Respublica Litteraria ob typis editos Libros summopere commendavit, quorum Elenchum, ne depereat memoria statim subjicio:

Opera P. Fidelis Jaderensis in lucem emissa

Italico Idiomate.

I. Produzioni Ascetiche ed Ascitizie concernenti la Peste di Spalato in 8. Venezia 1790.

II. Lettera del P. Fedele da Zara Cappuccino al Giovane Sig. Benetto Zulatti proficua ad ogni Giovane specialmente Militante, in 8. Venezia 1787.

III. Quesito proposto, sciolto, e difeso nella sua parte affermativa, se un Predicatore . . . possa redarguire le notorie mancanze degli Ecclesiastici? in 8. Venezia 1792.

IV. Vita del P. Marco d' Aviano, in 8. Tom. 2. Venezia 1798.

La-

Latino Idiomate.

I. Hymnodion seu Hymnorum quorumdam collectio, in 8. Venetiis 1797.

II. Mantissa ad Hymnodion, in 8. cui accedit.

III. Epistola ad Conreligiosum Virum sciscitantem num in proximo sit Finale Judicium?

IV. In Apologeticos Conatus &c. Theologi Archiepiscopalis Censoriæ Responsiones, in 4. Rhagusii 1798.

Hæc Tibi, Præsul Amplissime, responsa dare debuerat, qui nominis tui cultor, se totum tuo jam dedicavit obsequio.

Dominationis Tuæ Illmæ ac Rmæ

Macarschæ in Dalmat. die 20. Apr. 1799.

= Ab extra = Illmo ac Rmo Dño Dño Maxime Colendo Dño Gregorio a Varess Ruspensi Episcopo, Vicario Apostolico Bosnensi Ad S. Joannem Baptistam in Suttisca.

Humillimus Addictiss. Obsequentiss. Servus

Joannes Joseph Paulovich Lucich J. U. Doctor Canonicus, & Provicarius Generalis Macaren. nec non Delegatus Apostolicus Bosnensis.

